

niud fuisse sub Urbano II., confirmata disciplina à subsequentibus Pontificibus Maximis Callixto II., & Innocentio II., can. 8. dist. 27., can. 2. dist. 28., can. 40. caus. 27. quæst. 1. Non nova inducta his canonibus videtur disciplina, sed vetus confirmata, aut restituta, quam ideo confirmare, aut restituere necesse fuit, quod gravissimi essent ferreis illis sæculis Clericorum abusus, quorum alii matrimonia passim contrahere non verébantur, alii in turpi concubinato versabantur, non in eos animadvertentibus Ecclesiarum Prælati, aut parum tunc de sacra disciplina solliciti, aut in eadem vitia proni, dicto can. 2. dist. 28., can. 15. dist. 81., can. 1. dist. 83., & alibi pluries.

Ut sacri canones pressius urgerent Clericos in majoribus ordinibus oonstitutos, onus ordinandis imposuerunt, ut continentiam se servaturos Deo promitterent, ac voverent, can. 1. 6. & 7. dist. 28., quasi tunc magis admoniti Clerici viderentur, ne spem nuptiarum contrahendarum quandoquæ conciperent. Hinc profecta questio est, an ex vi voti, an potius ex vi susceptæ ordinationis Clerici à nuptiis arceantur. Ex iis, quæ hucusque tradita sunt facillè dirimitur questio: profuit enim in primis, votum illud per se illicitas quidem reddere nuptias, non verò præiudicium irritare; deinde colligitur, nuptias ipsas non irritari ex vi ordinationis, sed potius ex vi legis ab Ecclesia receptæ ac confirmatæ. Quod si perspectum habuisset Gratianus, non adeo laboravisset in distinctione elucubranda votorum, quorum alia dixit simplicia, alia non simplicia, sive solemnia distinctione, inquam toti vetustati prorsus ignota. Veniam demus Collectori, qui reparare collapsam studiorum disciplinam obscuro sæculo invecis variis scholæ accommodatis distinctionibus voluit, neque aliter scivit veterum canonum sententias conciliare, quorum aliis post votum irritæ, aliis validæ nuptiæ

declarabantur, can. 2. & 9. dist. 27., quam priores intelligendo de solemnibus, posteriores de simplici voto. Quod si hac invecis distinctione tenebris obscurioribus rem offudit, quoniam solliciti interpretes statim investigare ceperunt, quænam vota solemnia, quænam simplicia dicerentur, Bonifacius VIII. disciplinæ veteris puritatem restituit, atque retenta nova illa distinctione, tanquam in scholis vulgata, & penè trita, votum solemnè dixit, sive quoddam in susceptione sacri Ordinis, sive quoddam in professione religionis fieret, cætera esse simplicia declaravit, cap. un. de voto in 6., quod idem erat, ac desinire, tum demum conjugia post votum irrita habenda esse, cum legibus irritarentur, noverat enim Jurisperitus Pontifex, non alias ventium nuptias decretis irritantibus à legibus fuisse improbatas, quam eas, quæ vel post susceptionem sacri Ordinis, vel post monasticam professionem contractæ fuissent. Exinde etiam colligitur, eum, qui ea mente ad sacram Ordinationem accesserit, ut vovere nullo modo vellet, imò & apertè profiteretur, se nolle continentiam lege teneri, nihilominus, ut nullum sit votum, lege continentia obstringi, & contractas postea nuptias in irritum cadere, quemadmodum & dicendum est de eo, qui votum fieri ordinationis tempore debere ignoraverit. E converso si quis ordinatur ita, ut ordinatione deinde irrita dignoscatur, puta, quia ordinator non erat Episcopus, licet continentia votum emiseric, eo non obstringetur adeo, ut nuptiæ postea secutæ irritæ habeantur. Id ipsum dicendum puto, si metu gravi quisquam ad ordinationem sacram accesserit; ad hanc enim speciem pertinere non videntur publicæ leges, quæ sacrorum administratorum nuptias improbaverunt, nisi tamen cessante metu Clericus ratum habeat libere, quoddam, quemadmodum contingeret, si officium suscepto ordini adnexum spontè exerceret.

## CAPUT VI.

## De iis, qui diversæ religioni in Deum, ac fidei nomen dederint.

CUM in nuptiis Romani veteres quandam contrahi tradiderint non humani tantum, sed divini etiam juris communicationem, l. 1. ff. de ritu nuptiar., nolim ego, ut quisquam statim colligeret, ad substantiam matrimonii pertinere, non posse conjugio jungi illos, inter quos divinarum rerum nulla communio est. Erant illa juris Romani præcepta disciplinæ familiari priscorum Quiritium accommodata, juxta quæ sicut uxor in familia viri omnino consistere dicebatur, ita & sacrorum familiarium particeps habebatur. Recentioribus sæculis redactio jure ad quandam naturalem simplicitatem, immutatisque maxima in parte veterum concubiorum forniculis, præsertim cum familiaria sacra ab usu exolverunt, & uxor non omnino, uti olim, ad viri familiam pertinere cepit, nihil prohibuit, quominus etiam sine communionem divini juris nuptiæ consistenter, quemadmodum observavit Photius rerum Romanarum peritissimus in Nomenclone tit. 12. cap. 13., quemadmodum etiam deduci potest ex Justiniano, qui in §. 1. instit. de patria potestate, veterum nuptiarum definitionem à Modestino in dicta l. 1. traditam descripturus, omisit nonnisi sanè de industria verba illa, *divini, & humani juris communicatio*, quemadmodum & eadem omisit Alexander III. in cap. 11. de presumptione. Itaque si tantum inspiciamus conjugiorum naturam, quoties Æthioci, vel Judæi cum Christianis, id est baptizatis, quoties item Hæretici cum Catholicis matrimonio jungantur, nuptiæ valent. Cæterum non erit eadem generalis recipienda definitio sine ullo discrimine, si divinas, humanasque, præsertim eccle-

siasticas, leges spectemus. Non quæro hoc in loco, num propter conversionem Judæi, Infidelis, aut Hæretici matrimonium antea cum Judæo, Infideli, aut Hæretico contractum dissolvatur; hæc enim disputatio inferius commodiorem locum habebit. Potius quæro de conjugio contrahendo inter eos, qui disparem Dei cultum, ut vulgò dicunt, profitentur. Profectò apertissima sunt divini juris monumenta, sive veterem legem, sive novum testamentum inspicias, quibus constat, viris fidelibus interdictum esse conjugio cum infidelibus, quocumque nomine censeantur, incedendo. Hinc Judæis præstituit Deus, ne cum alienigenis matrimonium miscerentur, Deuteronom. cap. 7., Exodi cap. 34. In novo autem testamento habemus testimonium Pauli, in primis in epist. 1. ad Corinth. cap. 7., ubi nuptias ait à viduis contrahendas tantum in Domino, si tamen hæc verba interpretemur cum nonnullis ex veteribus Patribus, qui dixerunt, nuptias in Domino celebrari, quum fidelis fidelis jungatur, Tertulianus in lib. 2. ad uxorem; deinde in epist. 2. ad Corinth. cap. 6., ubi Apostolus ita fideles admonet: *Nolite jugum ducere cum infidelibus; quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ autem conventio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? Quis autem consensus templum Dei cum idolis? Vos enim estis templum Dei viri . . . propter quod exiit de medio eorum, & separavit, dicit Dominus &c.* Quod si causa infidelitatis, & blasphemie in Christum conversus conjux potest, ex doctrina ejusdem Pauli in dicto cap. 7. 1. ad Corinth., à conjuge infidelis recedere, dissoluto conjugii vincu-

culo, potiore sanè ratione prohibendum erat, ne inter Christianum, & Infidelem conjugia contraherentur, cum difficiliter dissolvantur inita matrimonia, quam, ne fiant, præcipiatur. Apostolicam hanc, dixerim etiam divinam traditionem secuti sunt constantissimè universi Ecclesie Patres, qui sive in Conciliis, sive extra Concilia fidelibus etiam sub anathematis pena indixerunt, ne conjugia cum infidelibus, aut hæreticis celebrarent; Concilio Eliberitano canon 5. 16., & 17., Concilio Arelatensi can. 11., Concilio Laodiceno can. 10., Concilio Carthaginensi III. can. 12., can. 15. 16. & 17. caus. 28. quæst. 1., & alibi passim, quibus addi potest lex 6. cod. de Judæis. Imò & eadem traditio in jure ipso naturali, seu in naturalibus conjugiorum institutionibus quoddam fundamentum positum habet; cum enim, uti superius diximus, natura etiam ad eum finem ordinaverit conjugia, ut necessitudo, benevolentia inter homines magis magisque firmaretur, hanc facile conciliari non potest conjugium inter homines diversæ religionis initum, quando diversa fidei professio acriter concitat animos hominum ad divisionem, quousque alter à proposito suo non recedat, & in fide conjugii non consentiat, quod gravissimi periculi esset Christiano, quum infideli conjungeretur; valde enim verendum esset, ne Christianus fidem Christi desereret, ut conjugii infideli omninò adhereret.

Memorata divina præcepta, atque Ecclesie canones non ita generales, & perpetuum causam habuerunt, ut aut nullus, aut ne certus quidem utut infrequens casus emergere potuerit, vel possit, in quo ex ipsa Dei institutoris, & Ecclesie mente locum non haberent. Cum enim ideo fidelibus interdictum fuerit matrimonio cum infidelibus contrahendo, non quòd suaapte natura turpe sit, aut minus honestum, sed quòd potius gravissima inferre soleat fidelibus pe-

ricula, ne à vera Dei fide ac religione cedant, facile intelligitur, ubi illud periculum aut nullum esse videatur, aut valde remotum, dispensatione quadam permitti posse conjugia; imò & aliquando laudari, ubi spes concipiatur non inanis futurum, ut per fidelem conjugem conjux infidelis sanctificetur. Certa esse possunt adjuncta, quibus hæc conjugia bono eorundem conjugum, nec bono liberorum officiant. Quid enim in primis respectu conjugum eorundem, si conjux infidelis profiteatur, conjugem fidelem se numquam à fide recta avocaturum, imò & laudet conjugem fidelem in semel suscepta fide constantem? Vel ipse Apostolus Paulus noluit in specie simili dissolvi conjugia infidelium, ubi unus ex ipsis ad fidem Christianam convertatur. Cur igitur facile non patietur Ecclesia, ut hæc conjugia contrahantur? Imò initium spei hinc emergere videtur, futurum ut conjux infidelis Christianam fidem, quam omninò non odit, paulatim diligere incipiat, ac denique amplectatur. Respectu autem liberorum potest publicis legibus providè consuli, ut ipsi in recta fide educantur & facile sequantur eam fidem, in quam unus ex parentibus Christianus vota omnia sua direxit, spreta alterius parentis infidelis superstitione, atque impietate, l. 12. §. 1., l. 18. §. 1. cod. de Hæret. & Manich. Hæc ratio est, quare apud Christianos memorent ecclesiastici Scriptores, piissimas fœminas viris infidelibus nupsisse, quin in hac re criminis contraherent notam; sic Monica Augustini mater Patricio Æthnico nupsit, Clotildis Clodoveo, quem ad Christi fidem convertit, & Crescanta filia Regis Merciorum in Anglia nupsit Offæ Regi Saxonum Occidentalium à fide Catholica alieno. Omitto Sanctorum veterum Hebræorum exempla, qui alienigenis juncti sunt, Moyses Madianitidi, filii Noëmi Moabitibus puellis, David Maachæ, Salomon filia Regis Ægypti, Josaphat filie Regis Achab, & Esther Assuero, quin ta-

men

men hujusmodi conjugia sacris eisdem quibus enarrantur, litteris improbentur. Tantum improbatæ fuerunt nuptiæ, quando gravis suspicio suboriebatur, futurum, ut exinde Judæi facile à veri Dei culto averterentur. Qua ratione scimus jussisse Esdram, ut Judæi à captivitate Babylonica reversi ejicerent uxores alienigenas, quas captivitatis tempore pridem duxerant. Sancti Ecclesie Patres non aliter veritas ejusmodi nuptias dixerunt, quam quod ad societatem idolatriæ frequenter inducerent; unde Tertullianus in lib. de corona militis cap. 13. ait: *Non nubimus Æthnicis, ne nos ad idolatriam usque deducant, à qua apud illos nuptia incipit.* Concilium Eliberitanum, cujuscumque tandem sic auctoritatis, can. 15. infirmitati sexus consulens etiam statuit, puellas non esse gentilibus conjugio sociandas, ne atas in flore tumentis in adulterio anima resolvatur. E converso alii, quoties infidelitatis nullum esse periculum animadverterent, eas nuptias non improbarunt. Unde Augustinus in lib. de fide & operibus cap. 19., & lib. 1. de adulterinis conjugis cap. 25., nihil habuit, quod adversus ea conjugia opponeret, inter cætera ita scribens: *Notris temporibus jam non putantur esse peccata, quoniam reversè in novo testamento nihil inde præceptum est, & ideo aut licere creditum est, aut velut dubium delectum. Mulier mortuo viro cui vult nubere, nubat, tantum in Domino. Quod duobus modis accipi potest: aut Christiana permanens, aut Christiano nubens. Non enim tempore revelati testamenti novi in Evangelio vel ullis Apostolicis litteris sine ambiguitate declaratum esse recolo, utrum Dominus prohiberet, fideles cum infidelibus jungi, quamvis Beatissimus Cyprianus inde non dubitet, nec in levibus peccatis consistat, jungere cum infidelibus vinculum matrimonii, atque id esse ducat prosternere gentilibus membra Christi. Item in Concilio Laodiceno can. 10. non simpliciter vetitum est, ne fideles filios suos hæreticis jungerent, sed ne indiscriminatim, quasi diceretur, nulla ratione habita periculi æternæ vitæ, quod ex assi-*

Tom. III.

dua diversa religionis conjugum conversatione emergit. Ut paucis dicam, eadem ratione & divino & ecclesiastico jure interdictum fidelibus est, conjugia cum infidelibus, aut hæreticis celebrare, quia interdictum est, cum isdem commorari, conversari, & necessitudines quasque contrahere, dummodò tamen animadvertas, eò arctiorem esse conjugiorum prohibitionem, quò arctior est conjugiorum necessitudo. Quamobrem quemadmodum pro qualitate, & modo periculi, Ecclesia modò penitus arcuit fideles, à quacumque cum æthnicis vel hæreticis conversatione ineunda, modò eandem conversationem publica quadam suadente necessitate permisit; ita modò conjugio fidelibus cum infidelibus ineundo interdixit, modò nonnihil induxit pro varietate temporum, locorum, ac personarum. Res eò adducta est, ut aliquando non solum illicita, sed etiam prorsus irrita ejusmodi nuptiæ haberentur, aliquando verò subsistere dicerentur, imposita fideli contrahenti poenitentia, can. 68. ex Arabicis inter Nicænos, can. 11. Concilii Arelatensis, juncto can. 72. Concilii Quinisexti, unde recentiores Interpretes ad ecclesiasticos canones respicientes, quorum alii aliis adversari videntur, agnoverunt quidem constantem Ecclesie mentem, exoptantis, ne inter Christianos, atque infideles, aut hæreticos conjugia ineantur; interea tamen rem tenebris absolventur, quoties de vi semel contractorum ejusmodi conjugiorum disputarent. Hodie receptum est, potius generali Ecclesie consuetudine, quam jure scripto, ut conjugia cum Judæis, vel Infidelibus à Christiano contracta irrita poenitentia habeantur, quamquam irrita non existenterum conjugia à Catholicis cum Hæreticis contracta; an verò hæc illicita sint, singularum provinciarum moribus inspectis passim judicatur; licet enim ob hæresos periculum vitanda semper sint, in iis tamen locis, in quibus adeo permixti sunt Hæreticis Catholici, ut neces-

X

sa-

sariò passim invicem conversentur, quamdam excusationem habet Catholicus, qui Hæreticam duxerit, præsertim ubi publicis pactionibus cautum est, ne religionis causa alicui molestia ingeratur. Oppones forè, nullo modo cuiquam licere cum hæreticis Sacramenta, quale est matrimonium, unà suscipere, vel ministrare. Sunt quidam ex Theologis, qui ab omni culpa Catholicos absolverunt, qui cum hæreticis nominatim non denunciatis communicarent in divinis, quoties hæc concurrant: Primò, si adigantur gravissima, & urgentissima causa: Secundò, si hæretici, à quibus Sacramenta ministrantur, validè sint ordinati: Tertio, si communicatio in divinis non sit externa protestatio falsi dogmatis: Quarto demùm, si nulli ex ea communica-

tione scandalum ingeratur. Hæc opinio non omninò tuta esse videtur; quomobrem aliorum potius videretur amplectenda opinio qui ad evitandam quancunque rerum sacrarum communionem consilium Catholico præbuerunt, ut matrimonium iniuri curaret uti contractum tantummodo, non uti Sacramentum. Ego hanc rem in arbitrio Episcopi collocarem, quoniam nullibi certo jure statutam regulam intuemur: is enim utpotè moribus Provinciae satis instructus, consilio prudentiaque sua, quæ non ubique eadem operari potest, quid agendum sit, judicabit, dummodò semper præ oculis habeat universalis Ecclesie mentem, qua, quoad fieri potest, fidelibus quacumque spiritualis vitæ pericula declinanda proponuntur.

## CAPUT VII.

*De iis, qui singularibus ex causis, aut jure ecclesiastico, aut jure civili Romanorum, conjugia contrahere prohibentur.*

**S**uperest adhuc, ut cæteras species singulares recensam, in quibus certis de causis aut jus ecclesiasticum, aut jus civile Romanorum quædam conjugia improbavit, quæ sanè legum, & canonum sanctiones non ubique, neque omni tempore custoditæ fuerunt, eamque ob rem hodie variis Provinciarum consuetudinibus obnoxia habentur.

Ad duo generalia capita referuntur in proposito sacrorum canonum sanctiones; vel enim tales sunt, quæ certis personis ipso jure designatis conjugio interdixerunt, vel tales, quæ conjugio interdicendum Judicis sententia, mandaverunt. Ipso jure generaliter interdictum fuit conjugio iis, qui penitentia publicæ addicti essent, ante finitum ejusdem penitentia tempus, can. 12. caus. 33. quæst. 2., cujus definitionis multiplex ratio reddi potest. In primis enim auferenda erat omnis occasio publicis penit-

tentibus, ne rigorem penitentia per conjugia relaxarent; siquidem si penitentibus indicebatur, ut ad usum conjugii ante susceptam penitentiam contracti abstinerent, can. 6. & 13. caus. 33. quæst. 4., si insuper Christianis universis usus conjugii vetabatur temporibus penitentia generalis, can. 2. 3. 4. 8. 9. 10. & 11. caus. 33. quæst. 4., unde etiam disciplina ecclesiastica emerit de conjugii tempore Adventus, vel Quadragesimæ non celebrandis; congruum erat, ut publici penitentis à contrahendis matrimoniis absterent. Deinde penitentibus publicis non erat facillè permittendum, ut ad suscipienda Sacramenta accederent, quale erat matrimonium. Præterea jure ecclesiastico ita habebantur publici penitentes, uti habebantur jure civili deportati, quibus justo conjugio interdictum fuisse scimus. Postremò abominabatur Ecclesia ea conjugia, ex quibus ab hominibus ex-

tra communionem ejusdem Ecclesie quodammodo ejectis genita proles Ecclesie ipsi adgnasceretur, quemadmodum annotavit Mendoza de confirmando Concilio Eliberitano lib. 2. cap. 21. Specialiter quoque vetitum fuit, ne conjugia contraherent ii, qui incestum commiserant cum vivigna, cap. 4. de eo qui cognovit &c., vel cum duabus sororibus, aut cum duobus fratribus, vel cum patre, & filio, item cum relicta fratris, cum nepte, noverca, nuru, consobrina, filia avunculi, aut ejus relicta, can. 20. caus. 32. quæst. 7. item mulieres adulteræ, etiam post mortem viri, can. 22. caus. 32. quæst. 7., ac denique suorum conjugum interfectores; can. 5. caus. 33. quæst. 2., uti enim ii omnes gravissimè in conjugium ipsum deliquisse deprehendebantur, ita bono conjugii frui non sinebantur. Judicibus quoque certis in casibus mandatum est, ut sententia sua quosdam continerent, ne connubia celebrarent; tum nimirum, quum novissent, publicè interesse, ut à conjugio celebrando absterentur. Id contingit ex. gr. in ea specie, qua qui matrimonium contraxit, proponat, sibi junctam esse consanguineam, eamque ob rem alias sibi nuptias concedi postulet prioribus dissolutis; siquidem interea, donec de nullitate contracti matrimonii non constet, matrimonio postulanti sententia Judicis interdicatur, quemadmodum & in cæteris casibus hujc similibus, cap. 3. de contracto matrim. cont. interdict. Ecclesie. Cæterùm quotquot sint hujusmodi interdicta, vel abs jure, vel ex sententia Judicis proficiscentia, sunt quidem servanda ab omnibus; at si non serventur, quoniam clausulis irritantibus in jure munita non sunt, nihilominus, si nihil aliud obstat, matrimonium consistet, dicto cap. 3., juncto cap. 1. & 2. cod. titulo.

Ex sanctionibus juris civilis Romanorum non probata scimus conjugia, primùm inter cives Romanos, & servos,

seu ancillas, imò nec mutò inter servos, & ancillas; secundò inter cives Romanos, & peregrinos; tertio inter Senatores, ac libertinas; quarto inter Rectores Provinciarum; & puellas provinciales; quinto inter tutores, aut curatores, ac pupillas, vel adolescentes; sexto denique vetitum scimus, ne conjugia contraherentur à viduis mulieribus, quæ necdum luctus tempora transegissent. Hæc singula expendam, & quidem paucis, propterea quòd ferè universa ab usu exoleverunt.

Itaque in primis cum servis, & ancillis jus connubii ex Romana lege non erat; & quoties data conjugii fides fuisset, illud non nuptiæ, non matrimonium, non conjugium, sed contubernium dicebatur, l. 3. cod. de incestis nuptiis, Ulpianus in fragmentis tit. 5. §. 5., Paulus lib. 2. sentent. tit. 19. §. 3., siquidem soli cives Romani inter se legitima conjugia contrahebant, principio instit. de nupt., à quibus propterea servi omnes areebantur, utpotè qui non tam carebant jure civitatis, quàm brutis quodammodo æquiparabantur, & pro nullis habebantur, l. 32. ff. de regulis juris, l. 1. ff. de jure delibandi. Hoc adeo verum erat, ut nonnisi minus honesto contubernii nomine donaretur conjugium illud, quo aut ancilla homini libero, aut ingenua homini servo jungeretur, dicta l. 3. cod. de incestis nuptiis, dicto §. 3. tit. 19. apud Paulum in lib. 2. sentent. Hinc nulla patria potestas in liberos ex ea conjunctione natos, nam quocumque casu mater ancilla foret, editi filii potestati dominicæ aderescebant, dicta l. 3. cod. de incestis nuptiis, quamquam recentiore ætate alii mores in quibusdam provinciis deinde invaluerint, cap. 3. de conjug. serv., & si mater libera fuisset, pater servus, editi filii habebantur veluti vulgò quasi, & spiritus, seu sine patre nati; uti enim scribebat Ulpianus in fragmentis tit. 5. §. 9. cum his casibus connubia non sint; patris sequitur matrem; principio institut. de ingenuis, l. 5. §. 2.,

l. 19. & 29. ff. de statu hominum, l. 6. cod. de suis, & legitimis liberis. Hinc in eadem conjunctione nulla erat de adulteriis questio, eo ipso, quod ea conjugii species posita haberetur extra sanctionem legis Juliae de eo crimine lata, l. 23. 24. cod. ad leg. Jul. de adulter., l. 6. ff. cod. tit. Hinc etiam, si in contubernio aut consanguinitatis, aut adfinitatis ratio nulla habita fuisset à conjugibus, vix quidquam sollicitudinis Romani suscipiebant, quosque contubernales in servitute manerent, §. 10. instit. de nuptiis, juncto princip. instit. de servili cognitione, l. 14. §. 2. & 3. ff. de ritu nuptiar., l. 10. §. 5. ff. de grad. & adfinib., unde Paulus in lib. 4. sent. tit. 10. §. 2. agebat: *Neque servi neque liberi matrem civilem habere intelliguntur.* At enim hæc vera erant, inspecta tantum ejusdem Romani juris subtilitate. Ceterum cum Jureconsulti, juxta principia juris gentium, atque juxta bonos mores rem hanc perpendere, conjunctione illarum certam rationem habebant, imò & non sine certo juris effectu illas esse voluerunt; quasi multa jure naturæ in iisdem adhuc firma consistere, quæ temerè violari, publica utilitas minimè pateretur, l. 13. princip. ff. de condic. indeb. Ad rem Ulpianus in l. 32. ff. de regulis juris: *Quod attinet ad jus civile, servi pro nullis habentur; non tamen & jure naturali, quia quoad jus naturale attinet, omnes homines æquales sunt.* Re namque vera licet in contubernio vinculum illud, quod parentes invicem, & liberos devincit, non attingeretur, ubi tamen contubernales manumitterentur, major habita fuit ratio naturalis illius conjunctionis inter parentes, & liberos, quam vinculi inter patronos, & libertos in causa legitimarum successionum, l. 4. §. 8. & sequentibus cod. de bonis libertorum, princip. instit. de servili cognitione. Præterea, licet ex lege Julia contra contubernales non quereretur de adulterio; adhuc tamen alia ratione vindicta criminis sume-

batur, datis actionibus, & legis Aquiliae, & injuriarum, & de servo corrupto, l. 6. ff. ad leg. Jul. de adulter. Denique, licet dum contubernia contraherentur, nulla consanguinitatis ratio haberetur; tamen consanguineorum nomina usurpabantur, l. 10. §. 5. ff. de gradib. & adfin., & liberorum nomine etiam liberi in servitute suscepti veniebant, l. 88. §. 12. ff. de legat. 2., quandoquæ etiam habebatur ratio paternæ pietatis, quemadmodum in specie legis 35. ff. de editio edicto, ac legis 41. §. 2. ff. de legatis 3., & quo casu contubernales consanguinei vel adfines ad libertatem pervenissent, ea conjunctio jure etiam Quiritium daminari incipiebat, §. 10. instit. de nuptiis, non quasi tùm primùm novo jure ita definitæ, sed quasi jampridem improbata naturali pudore, atque honestate, l. 8. 14. §. 2. & 3. ff. de ritu nuptiarum. Inde planè liquet, quid sentiendum sit in ea disputatione, quam nonnulli invenerunt, an, & qua ratione, quæ hujus generis conjugia jure civili Romanorum minimè probabantur, probata inde fuerint jure ecclesiastico, quo definitum est, & vera conjugia esse, & posse Sacramenti dignitatem habere. Ecquidem Romanis non erant illa juxta nuptias, neque in universis propemodum juris effectibus, juris civilis præsidio gaudebant. Nihilominus tamen non damnatae conjunctiones erant, sed adhuc intra naturalis juris fines consistere dicebantur, eodem modo, quo facta, quæ nuda appellabantur, si non civilem saltem naturalem obligationem inducebant. Conferantur, amabo, quæ traduntur in saceris canonibus, nimirum in can. 1. 2. 5. caus. 29. quæst. 2., & in cap. 1. de conjug. serv., conferantur, inquam, cum verbis Ulpiani Jureconsulti supra memoratis ex lege 32. ff. de regulis juris; tùm verò constabit, utriusque juris, & sacri, & Romani principia bellè invicem convenire. Post quam observationem, nulla amplius erit dubitatio, quin eadem

dem conjugia inter servos Christianos Sacramento sanctificari valeant, quemadmodum ex juris scripti disciplina hominè Sacramenta judicantur, dicto cap. 1. de conjug. servorum. Siquidem facile intelligimus, ad Sacramenti dignitatem elevari potuisse, quod, licet non munitum undecumque esset omnibus juris præsidii, jure ipso tamen publico minimè rescindebatur, sed consistebat, veluti exactum ad juris naturalis simplicitatem, eadem ratione, qua obligationi naturali jure Romanorum non confirmata, dummodò nec damnata, jurisjurandi religio accedens vim majorem addebat; quemadmodum tradunt universi Interpretes ad authenticam *sacramenta puberum* cod. si adversus venditionem.

Interea ut ecclesiastici Antistites nihil haberent, quod adversus conjugia servorum opponerent, neque à sacra benedictione temperarent, identidem tamen quædam hujus generis conjugia improbaverunt, illa videlicet, in quibus non facile individua vitæ consuetudo inter conjuges consistere posset aut turbaretur. Quid enim, si servus maritus uni, ancilla uxor alteri domino subjaceret? Ipsa familiarum divisio nonnihil mutis conjugum officiis oberat; diversa quoque plurium dominorum indoles animos servorum conjugum in contrariâ non semel distrahebat, servorum, inquam, conjugum, qui vel inviti, quisque in dominica familia, detinebantur. Eam ob rem tùm demùm ea conjugia probabantur, cùm utriusque domini voluntas accessisset, Concilio Cabilonensi II. anni 813, can. 8. caus. 29. quæst. 2., quare Hayto Episcopus Basileensis in suis Capitularibus sæculo nono editis cap. 12. ita statuit: *Ubi mancipia non minus, sed diversa potestatis juncta fuerint, nisi consentientibus utriusque domini, hujusmodi copulatio raris non erit.* Eadem cautio adhibebatur, ubi ingenuus ancilla, vel è converso ingenua servo jungeretur, adeo ut passim optaretur, ut ingenui à servorum, atque

ancillarum conjunctionibus abstinerent. Sic Theodorus Cantuariensis in suis capitulis anni 688. cap. 17. apud Harduinum in tomo 3. Conciliorum statuit: *Ingenuus cum ingenuis jungi debet, & in lege Salica tit. 22. §. 3. ita legitur: Si quis ingenuus ancillam alienam in conjugium acceperit, ipse cum ea servitio implicetur.* Cùm ea species proposita fuisset Patribus Concilii Aurelianensis IV. anno 541., definitum est can. 24., non aliter conjugia servorum duobus dominis subjectorum vim, ac firmitatem habere, quam si voluntas eorumdem dominorum accesserit. At semel, ac uterque dominus consensisset, nulla amplius arde potestas dominis, conjugium semel ritè contractum disjungendi. Atque istud ipsum est, quod tradiderunt commemorati Cabilonenses Patres in dicto can. 8. caus. 29. quæst. 2. improbantem factum dominorum illorum, qui cùm in servorum conjugia consensissent, eadem inde *potestativa quadam presumptione dirimebant.* Hæc ipsa jurisprudentia traducta fuit in Capitularia Francorum, quemadmodum legitur in editione Baluziana tomo 1. Capitularium pag. 351. cap. 4. ibi: *Conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habuerint, sed in uso conjugio permanentes dominis servant; sic tamen, ut ipsorum conjugium legale sit, & per voluntatem dominorum suorum, juxta Evangelium: quos Deus conjungit, homo non separat.* Alter deinde placuit recentioribus, qui tradiderunt, non licere dividi matrimonia à servis, vel ancillis contracta, etiam ignorantibus, vel invitis dominis, dummodò semper ab eisdem servis, aut ancillis consueta ministeria erga dominos exhibeantur, idque firmaverunt auctoritate Hadriani Papæ, cujus tamen monumentum an germanum, & genuinum sit, curiosis rerum antiquarum investigatoribus disjucandam relinquunt. Tantum observo, id in jus commune abivisse, statim ac quod sub nomine Hadriani tradebatur, in Decretalibus Gregorij IX. locum invenit, cap.

cap. i. de conjugio servorum. Ex quibus constat, disciplinam istam fluxam admodum fuisse inter varia Provinciarum, varia etiam temporum adjuncta.

Non est hoc in loco omittendum, etiam jure civili Romanorum generaliter permissum fuisse dominis, ancillas suas ducere uxores, quoties eas manumississent; quod dicebatur conjugium patroni cum liberta. Gratianus censuit, id abs Julio Papa post varias initas disputationes probatum fuisse, can. 3. caus. 29. quæst. 2. Dixi generaliter: etenim Romani excipiebant ab ea lege quasdam personas clarissimas, quarum conjugia cum libertibus, veluti minus honesta, improbant, uti inferius tradam, l. 15. cod. de nuptiis. In eo autem conjugii genere duo singularia observantur. Primum est, ductam libertam arctiore necessitudine fuisse junctam cum marito patrono, quam cætera suis viris jungerent uxores, adeo ut quibus in casibus cætera divertere potuissent, uxor liberta à patrono marito divertere non valeret, l. 45. 46. ff. de ritu nuptiarum, l. 8. cod. de operis liberti, l. 1. cod. de incest. & inutil. nupt., Nov. 22. cap. 37., dummodo tamen non invita ducta fuisset, l. 28. ff. de ritu nuptiar., nisi ideo manumissa fuisset, ut duceretur, l. 29. ff. cod. titulo. Alterum est, ne dissoluto quidem conjugio inter patronum, & libertam, non potuisset eandem libertam conjugii liberti ejusdem viri, ac patroni, ne aliàs videretur libertus in eo conjugio non servavisse reverentiam, & obsequium erga patronum, dum ad ejus uxorem accederet, l. 62. §. 1. ff. de ritu nuptiarum. Imò & quod de patrono statutum erat, ad filios etiam patroni productum fuit, cum juspatronatus ipsum de patre transiret in filium, l. 48. ff. de ritu nuptiarum. E contrario verò non permittebatur patronæ, ut libertum suum sibi conjugio jungeret, l. 3. cod. de nuptiis; neque enim honestum visum fuit, eam, quæ domina olim erat, in mari-

talem servi olim sui potestatem deduci, atque aliàs credebatur patrona non satis maturo consilio in liberti conjugium consensisse, & non nisi pellecta blandis liberti ejusdem insidiis. Ceterùm si ageretur de patrona minus honesta, officio Judicis relaxabatur disciplina juris, & conjugium permittebatur, l. 13. ff. de ritu nuptiarum. Num hoc conjugium semel contractum dissolveretur, non satis apprimè constat. Tantùm memoria superest, Paulum in lib. 2. sent. tit. 19. §. ult. ita tradidisse: *libertum, qui nuptias patronæ, vel uxoris, filiaque patroni affectaverit, pro dignitate persona, metalli pœna, vel operis publici coerceri placuit.*

Ex eodem Romanorum principio, quod suadebat, inter solos cives Romanos matrimonium justum consistere, proficiscebatur, conjugia naturali quidem jure valuisse, non tamen justa fuisse habita inter peregrinos, seu inter eos, quorum unus esset civis Romanus, alter peregrinus, l. un. cod. Theodos. de nuptiis. Peregrini autem dicebantur liberi homines, quotquot non gaudebant jure civitatis Romanæ. Noverant Quirites, utilitati populi plurimum consuli, quoties unusquisque civis averteret animum suum à concilianda benevolentia cum exteris, quos bellorum vi, odioque hostili ad Imperii unitatem adducere conabantur, & quoties unusquisque civis fœdera arctiora iniret, renovaretque cum concivibus suis; qui sanè finis obtinebatur, illinc conjugia prohibendo cum peregrinis, hinc alliciendo cives ad inecunda tantùm inter sese matrimonia, & nuptias celebrandas. Sed recentiore etate, cum latissimè prorogati fuerunt Imperii fines, unde plurimæ gentes sub uno Imperatore ad animorum unitatem habendam concitandæ fuerunt, pristinus legum rigor relaxatus est. Jam à temporibus Arcadii & Honori promiscuè gentibus universis sub Romano Imperio constitutis concubiorum jura concessa fuerunt, quod etiam expressum fuit in legibus Visigothorum

De conjugijs interdictis jure vel ecclesiastico, vel Romano. 175  
rum lib. 3. tit. 1. cap. 1. Ad rem Prudentius in Symmachum vers. 1422. ita scribebat:

*Distantes regione plaga, divisaque ponto  
Littora conveniunt, nunc per vadimonia ad unum  
Et commune forum, nunc per commercia & artes  
Ad castrum celebrem, nunc per genalia sulcra  
Externi ad jus connubii; nam sanguine mixto  
Textur alternis ex gentibus una propago*

Sic enim populi inter sese connubia celebrantes, assuescere incipiebant blandis & suavibus modis imposito jugo Romanorum, ut Imperii nomen non tam non horrerent quam amarent: adeo verum est, naturam conjugiorum dirigi etiam maximè ad bonum commune societatis.

Ne clarissimarum familiarum splendor & decus immineceret, statutum quoque fuit lege Julia, ne Senatores (quorum qui nominæ veniant, indicavit Ulpianus in l. ult. §. 1. ff. de Senator.), eorumve filii nepotes ex filio, ac pronepotes ex nepote, uxores ducerent libertinas, aut eas, quarum unus pater, matere artem ludricam in scena facerent, vel fecerint; item; ne Senatorum filia, vel neptes ex filio, vel proneptes ex nepote, libertino, vel ei, qui, vel ejus pater matere artem ludricam in scena fecerint, jungerentur, l. 23. 32. 44. 49. 58. ff. de ritu nupt., l. 7. cod. de incest. & inutil. nupt. Exceptio erat in Senatoris filia, si ipsa ob vitam susceptam minus honestam jam decore paternæ dignitatis decidisse visa fuisset, l. 47. ff. de ritu nuptiar., non tamen, si Pater ipse Senator à dignitate sua fato quodam decidisset, l. 34. §. 3. ff. cod., l. 9. ff. de Senator. Vetitas istas nuptias non solum illicitas Romani habuerunt, sed nec nuptiarum nomine dignas, l. 16. & 42. §. 1. ff. de ritu nupt., unde receptum est, ut ne sponsalia quidem valerent, quòd perpetua foret interdicti causa, l. 16. ff. de sponsal. Ceterùm adhuc conjugium illud intra naturæ fines consistere videbatur; & Senatores libertinas sibi junctis, si non tanquam materfamilias, justasve uxores, saltem tanquam concubinas habebant, l. 3. §. 1. ff. de donat. int. vir. & ux., qui concubi-

natus aliquando in matrimonium justum evaderebat, quod duobus modis contingebat, primò, si Senator dignitatem amisisset, l. 27. ff. de ritu nuptiar., secundo, si Senator indulgentiam à Principe obtinisset, l. 31. ff. cod., tantùm enim legum vetita eò respexerant, ne familiarum splendor immineceret, qui per justas nuptias, non per concubinatum minui credebatur. Fateor, Constantinum Imperatorem in l. 1. cod. de natural. liber. has Senatorum conjunctiones acrius improbavisse, imò & abstulisse supplicandi potestatem. Verùm eam constitutionem non *uendo peremptam* fuisse, testatur Justinianus in Nov. 89. cap. ult. Hinc Justinianus idem primùm concessit supplicandi facultatem gratia scenarum mulierum, dummodò istæ pridem in vitam ludricæ vitæ rationem deseruissent, l. 23. cod. de nuptiis; deinde non multò postea scenicis eisdem ludricam vitam deserentibus generalem facultatem concessit, quæcumque conjugia contrahendi, nulla principali indulgentia impetrata, l. ult. cod. cod. tit. Denique scenicarum exemplo generaliter permisit Senatoribus, ut libertinas suas uxores ducerent, etiam speciali venia non obtenta, dummodò nuptialia instrumenta conficerentur, ad abolendam quæcumque antea initi sine ulla solemnitate & forma publica concubinatus minus honestam imaginem, dicta Nov. 89. cap. ult., Nov. 78. cap. 3., unde sumpta authentica *sed novo* cod. de nupt., & Nov. 117. cap. 4., unde sumpta authentica *sed novo* cod. de naturalibus liberis.

Longè dissimilis causa fuit Romanis, ut prohiberent nuptias inter Rectores provinciarum, ac puellas provinciales; si enim qui Magistratum in provin-

vincia gerebant, majus imperium post Principem in provincia habebant, l. 8. ff. de offic. Procons., l. 4. ff. de offic. Præs., verendum maximè erat, ne puella provinciales gravi potius metu adacta quam liberè in eas nuptias consentirent, l. 36. ff. de ritu nuptiar., l. un. cod. si Rector provincie, l. un. cod. si quacumque præd. potest., quas propterea nuptias contrahi, non tam incivile videbatur, quam conjugiorum ipsorum natura ac libertati contrarium, l. 38. ff. de ritu nuptiar., l. 3. §. 1. ff. de donation. int. vir. & uxor., eadem ratione, qua jussi sunt Magistratus à cæteris contractibus in provincia ineundis absinere, l. un. cod. de contract. judic. **Hanc** ob rem puto, conjugium non obstante ea lege contractum, irritum omninò fuisse, neque enim valere poterat, quod nec liberè, nec pleno consensu fuerat celebratum: imò & si fortè uxor ducta heredem maritum scripsisset, hereditas ab ipso tanquam ab indigno auferrebat, & fisco caduca fiebat, l. 2. §. 1. & 2., juncto argumento legis 13. ff. de his quæ ut indignis. Quando igitur interditi causa in metus, terrorisque presumptione versabatur, recipi debuerunt quædam ad generale coercendam regulam exceptiones, quibus nimirum in casibus, aut nulla omninò erat, aut admodum levis incussi metus terrorisque præsumptio. Prima exceptio erat, si Rector provincie sponsalia cum provinciali contraxisset, antequam ad provinciam administrandam accederet; etenim liberè præhabitus sponsalitiis contractus omnem suspicionem metus, & nuptiarum inde minus liberè contractuum amovebat, l. 38. §. 1. ff. de ritu nuptiar. Secunda exceptio erat, si Rector provincie sponsalia tantum in provincia contraxisset, & matrimonium contrahendum in tempus finite administrationis contulisset. Quid enim obesse poterat nuptiis inde celebratis eo tempore, quo nullus metus inesse poterat, & puella liberè consentiebat? l. 38. ff.

de ritu nuptiar. Tertia exceptio erat, si uxor provincialis ducta in provincia, liberè deinde finita administratione in conjugio pridem inito consistere se velle profiteretur, l. 6. cod. de nupt., quasi professio illa subsequens uxoris declaret, olim liberè omninò matrimonium fuisse contractum; qua tamen in specie non confirmatum vetus, sed veluti novum matrimonium habebatur, l. 65. ff. de ritu nuptiar., l. 6. cod. de nuptiis. Quarta exceptio erat, si de eo ageretur, qui patriam provinciam administraret; quia in primis nemo prætextu administrationis cogendus erat ad quærendam sibi extra patriam suam uxorem, & cum ignotis familiis ac personis necessitudinem ineundam; deinde, quia in eo, qui in patria sua officium gerebat, tanta non videbatur inesse incuriendi terroris præsumptio, sed potius lenitas quadam animi in suos, & mansuetudo, l. 63. ff. de ritu nuptiar. Quæsitum erat de filiis, & filiabus Rectoris, an quoque exemplo patris eisdem interdiceretur connubiis cum provincialibus ineundis. Et quando tota ratio interdicti posita fuerat in gravi metus presumptione, recipiendum fuit, eadem lege prohiberi, ne filii Rectoris puellas provinciales ducerent; non tamen è converso ne filie Rectoris à viris provincialibus ducerentur, quia facilis præsumebatur metus incussus in puellas provinciales à filiis Rectorum ducendas, quam in viros provinciales filias Rectorum ducturos, l. 38. §. 2., & l. 57. ff. de ritu nuptiar. Ab hoc discrimine recessit Leo Imperator Philosophus in sua Nov. 23., ubi idem interdictum ad filias etiam Rectorum extendit, qua tamen in re parum sollicitus fuit de investigando spiritu veterum Jureconsultorum, quoniam statuit, ideo eandem in filiis ac in filiabus Rectorum disciplinam debere servari, quòd minor non deceat concedi privilegia masculis, quam feminis, allegans, per masculos uberius curari publicam utilitatem. Cæterum hæc disciplina viguit, donec Rectores pro-

provinciarum maximam potestatem & imperium in provinciis exercuerunt. Verum cum recentiore ætate mutata Imperii forma, minor eorundem potestas haberi cœpit, utpotè quòd diviso, tributoque Imperio inter plures Principes, facile fuit provinciarum administratores in unoquoque commodius à singulis Regno in officio contineri, eum propterea minueretur gravioris metus præsumptio, relaxari illam oportuit; atque inde si Rectores provinciarum eorumque filii puellas ducerent provinciales, matrimonium consistere cœpit, quòd hodiernis etiam moribus confirmatur, integra nihilominus manente generali tunc dissolventi conjugii causa, quum liqueat, administratorem potestate abusum vi & imperio puellam ad contrahendas nuptias adegisse.

Vetum insuper fuit Romano jure tutoribus, ne cum puellis, quarum tutelam, & curatoribus, ne cum adolescentibus, quarum curam gesserunt, conjugia contraherent, l. 15. ff. de sponsal. l. 59. ff. de ritu nupt., toto titulo codicis de interdicto matrim. int. pupil. & tut. seu curat., adeo ut ne sponsalia quidem valeant, dicta l. 15. ff. de sponsal., l. 60. §. 5. ff. de ritu nuptiar.; non quidem simpliciter, sed quousque reddita non fuerint gesta tutelæ, vel curarationes, l. 62. §. 2., & l. 67. ff. de ritu nupt. Ex quo deducitur, totam causam interdicti in eo inniti, quòd consulendum ea ratione fuerit pupillarum, & adolescentium puellarum indemnitas, utpotè quæ si jungerentur conjugio tutoribus vel curatoribus suis ante redditas rationes, vix futurum esset, ut ritè atque ex bona fide administrationis ratio redderetur; alias autem tutoribus vel curatoribus daretur occasio negotia potius gerendi propria, spe futurarum nuptiarum, quam puellarum in tutela vel cura exercenda. Quomodò enim nuptia puella tutori vel curatori suo, rationes à marito liberè exegisset, aut quomodò sperari posset, sine fraude easdem

rationes à marito redditum iri? l. 7. cod. de interd. matrim. Quæ si vera sunt, uti verissima demonstrantur, dubitare non possum, quin Romani Legumilatores propositas irritas eas nuptias esse voluerint, quod & perspicuè expresserunt, l. 13. & 6. cod. de interd. matrim. nisi de nuptiis ageretur contractis ante delatam curam, utpotè quas, eum jam ritè constitissent, dissolvi ob eam causam, seu ob supervenientem curam, utile visum non fuit, quamquam tunc consilium curatorii præberetur, ut ipse curam dimitteret, & alium puellæ curatorem dari postularet, dicta l. 3. cod. cod. tit. Eadem jurisprudentia protracta fuit ad filium tutoris, vel curatoris, cujus respectu eadem ratio viget. Quis enim non intueatur, tunc rem ita se habere, ac si pupilla, vel minor in potestate tutoris vel curatoris uti murus incideret cum eodem rei suæ, & reddendæ ritæ rationis periculo? l. 15. ff. de sponsal. Id verum est, etiam si liberi essent adoptivi, dummodò non emancipati, aut naturales aliis in adoptionem dati, l. 60. §. 6. & 7. ff. de ritu nupt., aut etiam si mortuus esset pater, & filii vel heredes patri essent, vel hereditate paterna abstinissent; ob graves, quæ fraudis esse possunt, dolive suspensiones, l. 67. ff. de ritu nupt. Imò & Juriconsulti, quod de filio tutoris vel curatoris statutum fuit, rectè interpretatione ad nepotes extenderunt, l. 59. ff. cod., quemadmodum & ad libertos tutorum eorundem vel curatorum, l. 37. & 66. §. 1. ff. cod.; quasi contra officium libertorum esset, adversus patronos uxoris nomine agere causa reddendæ rationis; item ad extraneos quoscumque heredes, l. 64. §. 1. ff. cod., insuper ad patrem tutoris, vel curatoris, atque, ad fratres sub paterna, unà cum tutore ac curatore potestate constitutos, l. 67. §. 2. & 3. ff. cod. Non verò id ipsum statuendum fuit de filia tutoris vel curatoris nupti collocanda pupillo vel adolescenti; neque enim id impedimento esse poterat, quominus ratio adm-  
Z  
nis

nistratiōnis reddi commodè & postulari à tutore vel curatore valerent, l. 64. §. 2. ff. cod. l. 5. §. 60d. de interd. matr., quemadmodum neque ipsū receptum fuit de matre pupillæ aut adolescentis tutori vel curatori nuptiæ, l. 2. cod. de interd. matrīm., junctā l. ult. cod. de contrar. jud. tut. Sed & notandum est, regulam illam generalem, certam & probabilem habuisse exceptionem, videlicet in ea specie, qua ageretur de pupilla, vel minore à patre desponsa tutori vel curatori, eorumve filio, l. 36. & 66. ff. de ritu nupt., l. 6. cod. de interd. matrīm., siquidem paternum præcedens consilium, quod liberorum gratia omnium optimum esse præsumitur, & generali legum providentiæ antefertur, liberabat tutorem ac curatorem à quacumque doli, vel fraudis suspitione, eodem modo quo licet tutorem & curatorem satisfacere generaliter ex legis præscripto cogerentur, tamen relaxabatur in hac parte legis rigor, ubi paternum officium tutoris vel curatoris gratia intercedebat, §. 1. insit. de satisf. tut. Similis propemodum exceptio est ob causam paternæ affectionis in specie legis 67. §. 1. ff. de ritu nuptiar., in qua proponebatur, avum tutelam gessisse neptis ex filio emancipato natæ, & definitum, potuisse avum tutorem eandem neptem collocare nepoti ex altero filio, sive emancipato, sive mahenti in potestate, quia par affectionis causa suspensionem fraudis amovebat. Quæsitum præterea fuit, an generalis regula locum haberet etiam in filia pupillæ, vel adolescentis, quæ nuptias contractura esset cum tutore, & curatore materno. Respondit Triphoninus, nuptias non improbari, quia in hac specie ratio hereditaria est, & simplex debitum; alioquin omnis debitor eam, cui obligatus esset ex aliqua ratione, prohiberetur sibi, filioque suo conjungere, l. 67. §. 5. ff. de ritu nupt. Non sunt hæc contraria cum illis, quæ tradebat Callistræus in l. 64. §. 1. cod. tit.; sed diversa; etenim aliud di-

endum est in herede tutoris, vel curatoris, aliud in herede pupillæ, vel adolescentis, quando lex ea conjugia prohibens personam pupillæ, vel adolescentis contemplata fuerat, non alias personas ab eadem pupilla, vel adolescente causam habentes; at non contemplata fuerat solam personam tutoris, vel curatoris, sed expressè etiam comprehenderat ejus liberos, quorum similitudine ad heredes interdictum recta interpretatione protrahi potuit. Denique quæsitum, an quod de tutore & curatore statutum est, idipsum diceretur de eo, qui pro tutore, aut curatore, aut negotiorum gestore res pupillæ vel adolescentis administrasset, qui tamen neque tutor esset, neque curator: Imperatores autem Leo & Anthemius noluerunt, ad eos generale interdictum extendi, l. ult. cod. de interd. matrīm. Hæc omnia an etiam hodiernis temporibus vigeant, mihi non est apprime compertum. Tantum scio, recentioribus legibus nihil fuisse Romano juri derogatum; propterea non temerè diceret, qui concluderet, adhuc hodie eandem esse prudentiam custodiendam, quousque non constat; moribus fuisse abrogatam.

Quæ naturalis ratio perpetuè vetuit, ne mulier pluribus viris matrimonio jungeretur, scilicet ne incerta proles adnasceretur, vetuit quoque, ne statim post mortem viri, viduæ nuptias cum altero viro contraherent. Quamobrem Romanæ leges viduis mulieribus certa luctus tempora constituerunt, quibus à nuptiis abstinere, caventes, ut annus integer continuus à morte mariti computandus haberetur, utpotè quo spatio constare poterat, an mortuo viro filius posthumus nasceretur, an nulla spes amplius superesset posthumorum, l. 11. §. 1. ff. de his qui not. infam., l. 53. §. 3. vers. Non audente cod. de Episc. & Cler., l. 1. & 2. cod. de secund. nupt. Hinc proficiscitur, non è converso uxore defunctæ tempora luctus esse à marito expectanda, quemadmodum neque de-

defuncto sponso expectanda esse tempora ab ea, quæ tantum sponsa non uxore fuit; eove minus luctum parentum, aut liberorum impedimento nuptiis esse, l. 9. & 11. ff. de his qui not. infam. Proficiscitur præterea, quo casu mulier vidua post mortem mariti filios peperit, liberè statim posse eam ad secundas nuptias convolare, quasi tunc certum esse incipiat, posthumos alios non sperari, & cesset causa interdicti, dicta l. 11. §. 2., quemadmodum & viduam potuisse rescriptum Principis impetrare, ut ad secundas nuptias ante statutum tempus convolarat, l. 10. ff. cod., quod non indecorè concedebatur iis, quæ nullam spem è priore conjugio suscipiendorum liberorum se habere certis argumentis adfirmarent. Proficiscitur denique, viduas intra luctus tempora sponsalia contrahere potuisse, dicta l. 10. §. 1. Quando verò impedimentum istud perpetuum causam non habet, sed certo tempore circumscriptam, noluerunt Romani, eas nuptias contra legem contractas poenitis irritari, contenti gravibus poenis terre mulieres, ut animum à festinatis nuptiis avocarent. Poenæ erant ut mulieres illæ haberentur tanquam infamæ, unà cum iis, qui easdem duxissent scientes prudentes, & cum parentibus, qui nuptiis consensissent, l. 1. & 11. §. 3., l. 13. princ. ff. de his qui not. infam., l. 17. cod. ex quib. caus. infam. ierog., l. 1. & 2. cod. de secund. nupti., l. 4. cod. ad Sen. Cons. Tertull., Non. 22. cap. 2. & 40., Novel. 39. cap. 2. Secundò non poterant alteri viro ultra tertiam bonorum suorum partem in dotem dare, neque ei ex testamento plusquam tertiam partem relinquere, dicta l. 1. vers. Præterea cod. de sec. nupt. Tertio neque poterant heredes institui, neque aut legata, aut fideicommissa aut donationes causa mortis, aut quæcumque suprema voluntate relicta percipere, dicta l. 1. vers. Omnium. Quarto amittebant quæcumque aut ex judicio mariti morientis aliàs habere potuissent, aut etiam quæ lucrata fuerant causa sponsalitiæ largitatis,

dicta l. 1. vers. His etiam, & l. 2. cod. tit. Quintò hereditatum legitimarum sive ex jure civili, sive ex jure pratorio ad se delatarum indignæ habebantur, si ageretur de cognatorum successione ultra tertium gradum, dicta l. 1. in fine. Sextò denique tenebantur prioris matrimonii liberis semisse bonorum suorum largiri, dicta l. 4. cod. ad Sen. Cons. Tertull. Sed postquam Romanæ leges recentioribus sæculis negligi cæperunt, inolevit consuetudo, ut viduæ ad nuptias festinantes infamæ non haberentur. Hinc duodecimo sæculo cum studia juris Romani revivissent, & nonnulli veterem infamiæ poenam in viduas intra annum luctus nubentes inferendam dicerent, Urbanus VIII., & Innocentius III., consuetudini potius indulgendum voluerunt, insuper habita Romanarum legum dispositione, cap. 4. & 5. de secund. nupt., eo prætextu, quòd Paulus Apostolus mulieres mortuo viro à lege viri solutas prædicaverit. Cæterum quamquam moribus inductum sit, ut poenæ infamiæ remitteretur, non tamen concludi potest, nuptias illas undecumque honestas dici jure posse, quousque saltem affirmari tutò nequeat, nullam esse spem posthumorum defuncto marito adgascentorum; agitur enim in hac re naturalis immutabili honestate, contra quam mores, & consuetudines parum valere posse videntur, & contra quam nihil tradidit Apostolus ab Urbano III., & Innocentio III. Iudatus. Neque præterea existit de concludi potest, remissa infamiæ poenæ, etiam cæteras poenas censendas esse abrogatas; cum ex unius poenæ remissione, præsertim gravioris, & quæ ad nominis existimationem pertinent, non liceat ad aliarum leviorum poenarum remissionem argumentari; præcipuè cum si cæteræ remitterentur, remissio eadem in filiorum primi conjugii, vel cognatorum detrimentum; quibus accedit vulgata ratio, quæ postulat, ut non præsumantur undecumque abrogatæ veteres leges, quousque de illarum abrogatione perspicuè non constet.

## QUÆSTIO I.

Quid sentiendum sit de vulgari Interpretum doctrina in impedimentis matrimonii distinguendis, ac numerandis?

QUÆ de personis ad contrahendum conjugum idoneis, vel non idoneis hucusque disserui, recentiorum sæculorum Interpretes, ac Glossographi post institutas Scholasticorum sæctas alia methodo exposuerunt, unã etiam adnexerunt formas, & ritus contrahendi conjugii, quibus omissis modò tantùm illicitum, modò etiam irritum matrimonium esse dixerunt. Ut enim agnoverunt, legum certis in casibus matrimonia prohibentium duplicem speciem esse, quarum aliã conjugium non servatã formã contractum irritarent, aliã tantùm adversus contrahentes pœnas tantùm infligerent, ac tuncque illicitum fa-

*Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.*

*Atque catechismus, sponsalia, junctio votum,*

*Impediunt fieri, permittunt juxta teneri.*

Deinde impedimenta dirimentia ita recensuerunt, nec dissimili metro:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*

*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*

*Si sis affinis, si forte coire nequibus,*

*Raptave sit mulier, nec parvi reddita ruit,*

*Si Parochi, & duplicis deici presentia testis.*

Hanc docendi methodum secuti sunt Scholastici propemodum universi, quibus reverã contigit in hac parte, quod contingere ipsis aliquando, scripsit Melchior Canus in suo libro de locis Theologicis, nihilum primum aliquem ex Scriptoribus certam proponere formam, quam deinde recentiores parum perpensam sequuntur, eadem facilitate oppositam secuturi, si decessores suos oppositã formã auctores deprehendissent. Ego sanẽ is non sum, qui aliena sequi contemnam, & mea eisdem præferre desiderem: verùm mihi venia detur in presentia, si eam methodum sequi nolverim, prop-

cerent, non irritum, & inanem, tradiderunt, duplicis generis esse matrimonii impedimenta, primùm genus appellantes impedimentorum impedimentum, quibus intervenientibus conjugium illicitum quidem esset, sed firmum, & validum; alterum impedimentorum dirimentium, quibus intervenientibus conjugium prorsus irritum haberetur. Neque hïc constiterunt; nam secretentes utrumque impedimentorum genus, quibusdam editis versiculis singula describere parum solliciti de nitidoris musæ cultu, dummodò studiosorum memoriam adjuvarent. Ita de impedimentis impedientibus adnotaverunt:

*Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum.*

*Atque catechismus, sponsalia, junctio votum,*

*Impediunt fieri, permittunt juxta teneri.*

Deinde impedimenta dirimentia ita recensuerunt, nec dissimili metro:

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*

*Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,*

*Si sis affinis, si forte coire nequibus,*

*Raptave sit mulier, nec parvi reddita ruit,*

*Si Parochi, & duplicis deici presentia testis.*

terea quòd nec reverã salva animi integritate potuerim, utpotè quam maturo consilio librata non solum inconcinnam fore sensi, sed etiam rectã sacrorum canonum disciplinã parum accommodatam. Reverã, postquam iis versiculis singula conjugiorum impedimenta exhiberi cœperunt, non defuere, qui exinde errandi occasionem arripent; quotiescumque enim disputandum occurrit, an in certis casibus conjugia prohibita intelligerentur: statim ad eos versiculos respici consuevit; & quemadmodum ubi inter eos impedimentum descriptum agnosceretur, statim interdictum conjugium

gium dictum est; ita non interdictum è converso, quoties nihil ad rem propositam in eisdem versiculis reperiretur, insuper habitis ceteroqui perspicuis sacrorum canonum sanctionibus. Id dolebat Benedictus XIV. in lib. 8. de Synod. Dives. cap. 14. num. 2., ubi improbativè opinionem illorum, qui adseverunt, ob solam ignorantem doctrinã Christianã non posse ab Ecclesia removeri sponso a conjugii celebrandis, & ait: *Falsum hac opinio quorundam Theologorum auctoritate, qui cum ignorantiam doctrinã Christianã non invenirent in vulgatis versiculis, in quibus enumerantur impedimenta matrimonii impedientia, asserere proinde non dubitarent neminem posse ob illam solam à matrimonio celebrando cohiberi.* Itaque quoties mentem nostram ad eos versiculos confirmanda erat, ut plurimum subobscurè indicata, atque invicem omninò inconcinna methodo digesta. De nominibus illis dirimentium, & impedientium impedimentorum verba non facio; eorum enim quedam veluti prima lineamenta sunt apud Cœlestinum III. in cap. 6. qui Cler. vel vovent, neque litem de proprietate nominum agendam puto, ubi gravis est de re ipsa, atque, ut puto, ab iis, qui verum amant, nisi ab ea methodo recedant, nunquam diluenda contentio. Exordior ab impedimentis, uti vocant, impedientibus; & statim ac lego *Ecclesiã vetitum*, quid amplius desiderandum erat, quando cetera, quæ subsequuntur, de tempore feriatum potissimum, & de catechismo, non aliter impediunt, quam quod de iis Ecclesiã vetitum adpareat? Quòd si rem in subsequentibus clarius aperendam esse voluerunt, quæro ab auctoribus versiculorum, cur inter ea impedimenta non recensuerunt omissiones publicarum denunciationum, juxta constitutiones Lateranensis, & Tridentini Concilii; cur

etiam non recensuerunt Sacerdotalem benedictionem à conjugibus non petitam, quando certum est, conjugia præsentem quidem, sed non benedicente, aut etiam contradicente Parocho celebrata ab Ecclesia improbari? Sed præterea recensere debuissent obicem, quem contrahentes ipsi ponunt, quoties non benè disposito animo, & qualis ad Sacramentum suscipiendum requiritur, ad contrahendum accedant; inter cetera autem memoranda etiam erat notitia rerum ad Christianam fidem pertinentium, quæ si deficit, illicitum conjugium reddit, uti observat Benedictus XIV. modò laudatus. Recensere etiam debuissent dissentium patris in conjugio à filiisfamilias contrahendo; etenim sacri canones licet firmum esse adserant matrimonium à filiisfamilias dissentiente patre contractum, illud tamen improbant, ac damnant, Concil. Trident. sess. 24. de Reform. matrim. cap. 1. Iustusper recensere debuissent conjugia inter Christianos, & Hæreticos contracta, in iis casibus improbrata, quos superius observabam, quemadmodum & conjugia contracta à viduis mulieribus luctu tempore, qua saltem in specie incerta proles nascitura esset; neque omittenda conjugia à publicis penitentibus celebrata. Quod de impedimento catechismi traditur, hodie supervacaneum nonnulli censuerunt, quasi Concilium Tridentinum, si quod antea fuerit, hujusmodi impedimentum omninò sustulerit. Quod item dicitur de voto, admodum ambiguum est, atque indiget explicatione, cum rursus votum inter impedimenta dirimentia recensatur. Equidem dirinxerunt ad rei explicationem votum simplex à voto solemnem, ut illud impedientibus, istud dirimentibus impedimentis adscerent. Verùm undenam ista distinctio processerit, jam superius tradidit, ubi adnotabam, votum uti solemne non per se, seu ratione solemnitatis, sed causa publicæ Ecclesiasticæ legis, aliquando matrimonium dirimere. Quòd si ad



impedimenta, ut vocant, dirimentia gradum faciamus, inter ipsa recensetur *conditio*, quando tamen ex causa conditionis servilis conjugia non irritantur, nisi tum demum, cum in eadem conditione erratur, quemadmodum passim omnes interpretantur; quod cum ita sit, cur impedimentum conditionis ab impedimento erroris distinguitur? Item nomen generale *criminis* frustra pro impedimento dirimente collocatur, cum id in certa tantum criminis specie locum habeat, uti suo loco traditum superius est. Melius erat, si criminis nomen inter impedimenta impedientia describerent, quando, uti etiam superius dictum est, multa designabantur apud veteres gravis crimina, quorum reus publicæ poenitentiae adhibebatur, ac proinde à contrahendis conjugii arcebat; eodem modo, quo votum utrique impedimentorum generi adscriptum est, quod quædam vota irritent, quædam non irritent matrimonia. Disparitas cultus, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, æquè poterat inter impedientia collocari, nam si ad Judæos, vel Gentiles referatur, nullum reddet matrimonium, si ad hæreticos, ex recentiore disciplina regulariter tantum illicitum. Mihi quoque placere non potest, quod idem unumque impedimentum semel indicatum, iterum aliis nominibus insinuetur. Sic postquam de voto facta fuit mentio, deinde neque continuo, fit mentio de ordine. Si quæras, cur eadem ratione de religiosa professione non meminerint, nescio, quid erunt responsuri. Item in secundo versiculo de vi mentionem fecerunt, deinde in quarto de raptu, quando tamen vis nomen generis est, quod

raptum quasi vis speciem comprehendit. Si consideres, quomodo inter se concinnata sint impedimenta illa, quæ ex quadam inita inter contrahentes necessitudine oriuntur, nihil est magis involutum; nam in primo versiculo memoratur cognatio, cujus nomine intellexerunt naturalem, civilem, & spirituales, quæ sanè distinguere erat maxime opportunum; deinde post plura impedimenta in fine secundi versiculi numeratur honestas, quam in tertio versiculo subsequitur adlinitas. Interea verò plurima omiserunt, quæ erant necessariò recensendi. Hujusmodi est conditio turpis contra substantiam, seu naturam matrimonii à contrahentibus adposita, juxta capitulum ult. de cond. adpos. Hujusmodi est metus gravis injustè incussus, qui sanè cum vi confundi non debuit, præsertim ab iis, qui raptum à vi distinguere sciverunt. Hujusmodi est ætas nuptiis inepta, sive quòd in illa non intelligantur obiri posse nuptiarum officia, sive quòd in illa idonea non fingatur lege consensus. Hujusmodi est aut furor, aut amentia, aut morbus amentie proximus, qualis in eo esse videtur, qui ab infantia, & mutus, & surdus simul, & cæcus fuit. Hujusmodi denique dici potest officium tutoris, & curatoris ante redditam tutelam, vel curam gestam rationem, juxta ea, quæ superius tradita sunt. Dicta hæc omnia velim, non eo animo, ut vulgatis Interpretum, & Pragmaticorum traditiones videar poenituisse improbasse, sed ut liqueat saltem, me non injuria in ea ipsa impedimentorum materie pertractanda, à vulgata methodo recessisse.

## QUÆSTIO II.

## De Matrimonialibus dispensationibus.

Contingit quandoquæ, ut à generali disciplina legum, quibus certo personarum generi conjugio contrahendo interdicitur, ita postulantibus singularibus causarum quarundam adjunctis, ex æquo & bono eorum, ad quos pertinet, dispensatione, atque indulgentia recedatur. Qua in re multiplices sunt disputandi causæ. Et primò quæritur, num in omnibus generaliter casibus sperari dispensatio possit? Nemo non videt, secretendas esse leges à legibus; nimirum naturales, aut divinas ab humanis; inspicendumque, an quod conjugio contrahendo obest, jure naturali, vel divino firmatum sit, an humano quemadmodum enim pro certo habetur, humani juris dispensationem ab homine legitima auctoritate prædico peti, obtinerique posse; ita etiam certum est, nullam esse hominis quacumque potestate præditi auctoritatem, ex qua proficisci aut naturalis, aut divini juris dispensatio valeat, nisi tamen in quibusdam gravissimis causis aequissimus arbiter jus vel naturale, vel divinum non obligare delectet, quod sanè non nisi latissimè dispensationem juris; atque indulgentiam appellaremus. Juxta hæc principia Innocentius III. in Concilio Lateranensi concludebat, *tolerabilis esse, aliquos contra statuta hominum dimittere copulatos, quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare*, cap. 47. in fine de testib., cui simile est, quod legitur in cap. 1. qui matrim. accus. in 1. Collect. Decretal., & quod legitur in cap. 8. de divort. apud Gregorium IX. Hinc autem, ut liquet, aperiretur amplissima disputandi via, & vix finem habitura. Quamquam enim multa statim adpareant conjugiorum impedimenta, quæ humano tantum jure facile dixeris constituta, de pluribus ta-

men dubitatur, an ex divino, vel naturali jure fuerint in publicas legum tabulas derivata. Verum ex iis, quæ hucusque diximus, atque ex iis quæ in sequentibus dissertationibus dicenda supersunt, jam liquido constare potest, quæ naturali, divinoque jure interdicta sint quæ etiam legibus humanis, ut facilis consideranti reddatur universarum inde emergentium questionum definitio. De legibus naturalibus ac divinis tantum dicam, eas in diverso genere positas esse, prout modò perpetuam causam habent, modò singularibus quibusdam adjunctis accommodatam. Profectò ubi causa perpetua est, frustrà dispensatio speratur, secus ac contingat in iis legibus, quæ certis adjunctis accommodatam causam habent; iis enim cessantibus, auctoritate illius, ad quem pertinet, facile dispensatio impetratur, aut singulari rescripto, aut legibus generalibus, aut etiam consuetudine. Exempla perspicua sunt in vidua tempore luctus nuptura, & in Catholico uxorem hæreticam ducturo. Prohibetur, ut diximus naturali jure vidua, ne nubat intra tempora luctus; quoniam verò causa naturalis interdicti in eo posita est, ne partus nascatur incertus, cur non probari aliquando poterit conjugium initum à vidua; si causa cessaverit, & certum esse incipiat, non incertam prolem secundo conjugi nascituram? Prohibetur, ut diximus, divino jure Christianus, ne conjugia cum hæreticis ineat; quoniam verò causa divini interdicti in eo posita est, ne Christianus in periculo fidei versetur, cur non probari aliquando poterit conjugium, si cessaverit periculum lædendæ fidei, ac verè in Deum religionis?

Longè diversa est ratio juris humani,

ni, quod uti ab hominibus conditum est, ita ab hominibus dissolvi potest. Hac tamen in re animadvertere juvat, leges omnes ex justa causa ut plurimum gravissima ferri solere ab eo, qui publica potestate gaudet. Eadem ergo ratione leges vinculum relaxabitur, quum nimirum duo illa concurrunt, auctoritas dispensantis, & justa nec levis dispensationis causa. Quum enim leges generales ita scribi non possint, ut singularia quæcumque negotia dirimant, omnesque casus, qui quandoque incidant, comprehendant, sed tantum ea, quæ plerumque accidunt continent, relicta cesserit facultas & Legumlatoribus eisdem, & Legumlatorum successoribus, legis vinculum relaxandi, quoties casus emergat; aut qui sententia generalis legis comprehendendi non videatur, aut qui aliam videatur providentiam postulare. Quod in primis spectat dispensantis auctoritatem, non memoro, quid olim vigeret, dum conjugiorum regulæ jure publico Principum Romanorum præstiterentur, ac proinde eorundem auctoritate ab his dispensabatur juxta leg. un. cod. Theod. si nupt. ex reser. pet., l. 1. & 2. cod. Justin. eod. tit., l. 23. & 29. cod. de nupt. l. 9. cod. de incest. & inut. nupt., quibus addi potest Cassiodorus lib. 7. variar. 46., ubi dispensationum Imperialium forma refertur. Etenim multa jam sæcula præterlapsa sunt, ex quo dispensationes petuntur à Pontifice Maximo, cui ea potestas reservatur adeo, ut Episcopis utitur eximia jurisdictione præditis generaliter denegetur. Dixi generaliter; etenim regula ista suas habet etiam consuetudine inductas exceptiones, aliquas etiam expressis legibus comprobatas. Siquidem in primis receptum est, Episcopum dispensare posse in impedimentis, quæ vocantur à Pragmaticis tantum impedimenta, eo excepto, quod oritur ex sponsalibus cum altero jam contractis, propterea quod sine gravi detrimento tertii hæc dispensatio indulgeri non posset; item eo excepto,

quod oritur ex voto non conditionali perpetuæ continentia, vel religionis ingrediendæ, propterea quod vota ista graviores causas habeant, dignamque, quæ uni Pontifici Maximo reservaretur. Item receptum est, dispensare Episcopum posse in impedimentis, quæ vocantur dirimentia, quoties agitur de matrimonio jam contracto, dummodò hæc facti adjuncta concurrant; primò, conjugium sit solemniter in facie Ecclesie celebratum, imò & jam consummatum; secundo, bona fides contrahentibus fuerit, cui causam dedisset vel juris, vel facti ignorantia; tertio, impedimentum sit occultum, nec facile sine scandalo veniri ad separationem conjugum possit; quarto denique, nequeat commodè referri res ad Pontificem Maximum, vel ob locorum distantiam, vel ob conjugum paupertatem, rusticitatem, aliasve similes causas; ex quibus facile concluditur, Episcopalem hujusmodi dispensationem ad forum potius, ut ajunt, internum pertinere, neque in externo ullo modo suffragari, ac si in Romana Pœnitentiaria obtenta fuisset. Quoties verò agatur de matrimonio necdum contracto, sed proximè contrahendo, nec dubitant Pragmatici adserere Episcopo facultatem dispensandi ab impedimento dirimente occulto, quum gravissima quædam urgeat causa, & nec Summus Pontifex adiri statim possit, nec matrimonium sine scandalo in aliud tempus differri. Itaque his exceptis casibus hodie receptissimum est, matrimoniales dispensationes esse Pontifice Maximo reservatas, nisi aliter legitima postulent singulares aliquarum Dioceseon consuetudines, vel singularia quorundam Antistitum, qui præsertim Pontificis Maximi legatione funguntur, privilegia. Potest autem obtineri dispensatio vel in Pœnitentiaria, vel extra Pœnitentiariam, nimirum in Cancellaria, aut Dataria Romana. Quoties obtinetur dispensatio extra Pœnitentiariam, suam vim exercit in utroque foro, seu interno, seu externo; at si obtineatur in Pœnitentiaria,

ria, tantum vim habet in foro interno præsertim quòd Apostolicus executor munere impleto litteras dispensationis lacerrare debeat, ut nullum supersit indulgentiæ monumentum. Solet autem in Pœnitentiaria obtineri dispensatio secreta, cum agitur de impedimento prorsus occulto matrimonii jam contracti, cujus dissociatio sine scandalo fieri nequeat; atque modus in dispensatione exequenda servandus solet in rescripto ad confessarium regulariter directo præstitui, quem propterea executor adamusim implebit.

Quando verò mei instituti potissimum est de dispensationibus agere, quæ extra Pœnitentiariam impetrantur, observo, duplicem esse dispensationum concedendam formam: aliam nimirum, quæ dicitur forma gratiosa, & sui naturæ formalem, ut ajunt, seu juridicam causæ cognitionem non postulat, aliam quæ dicitur forma commissoria, & formalem, seu juridicam causæ cognitionem exposcit. Dispensationes, quæ in forma gratiosa conceduntur, quod præterò contingit, nihilominus ex Concilii Tridentini decreto sess. 22. de Reformatione cap. 5. ab Ordinariis tanquam in hac parte delegatis Apostolicis, non tamen nisi summarè, & extra figuram judicii, cognoscendæ erunt, ne fortè obreptionis vel subreptionis vitio laborent. Quæ autem in forma commissoria expedituntur, quod frequentius est, solent ad Ordinarium dirigi non oratoris, sed oratoris, cujus Ordinarii nomine venit Episcopus, aut ejus Vicarius in spiritualibus generalis; quòd si Sedes Episcopalis vacet, ex stylo Curia dirigi solent ad viciniorum Episcopum, vel ejus Vicarium Generalem, non ad Vicarium Dioceseos Capitularem. Porò quicumque sit Apostolicus Delegatus, maxime studere debet, ne Apostolicas litteras executor, priusquam ea, quæ in eisdem continentur, quæque discutienda mandantur, diligenter, non leviter & perfunctoriè investiget; hinc inter cætera à testibus, quos ad examen veritates admittet, ju-

rejurando, quod testificantur, postulabit confirmari, mentione præmissa de jurisjurandi religione; item sedulo animadvertet, an singula, quæ in libello supplici, vel in narrativa, ut vocant rescripti, in quam libelli supplicis forma traduci solent, veritati per omnia consentent, ne fortè ab una impedimenti specie, aut ab una ex propositis causis, ad aliam utut æqualem, majorem, vel minorem dispensatio protrahatur.

Causæ dispensationum, circa quas præcipuè executoris Apostolici versatur, hodie istæ receptæ sunt: nimirum fidei religionisque tuendæ, concordia familiarum, aut publici tranquillitatis, proventæ ætatis, dotis incompetentis, angustia loci, scandali avertendi, item criminis evitandi. Præter hæc, quarum præcipua ratio haberi solet, & istæ ab aliquibus adjiciuntur: excellentia in Ecclesiam merita, conservatio illustris familiarum in eodem genere consanguineorum aliis peritura, ac demum conservatio facultatum in eadem cognitione, ne causa dotis, aut muliebris patrimonii in aliam familiam distrahanter. Prima causa fidei religionisque tuendæ, locum potissimum habet favore illarum Provinciarum, in quibus hæretici Catholicis permixti sunt, ac propterea subest periculum, ne si duo Catholici fortè consanguinei, affines, aliave simili necessitudine juncti invicem abstinere conjugio debeant, facile sint cum hæreticis Catholicis permixti. Secunda concordia familiarum, aut publicæ tranquillitatis locum habet, quando conjugium inter personas, quibus interdicitum est, initum conciliare potest civium, aut conjunctorum animos jamduo diris contentionibus exagitat. Tertia proventæ ætatis adducitur, cum puella (intellige de ea, quæ nondum nupta fuit, non de vidua) jam vigessimumquartum ætatis annum excedit, neque aliam spem nuptiarum habet, quam contrahendam cum eo, quocum contrahere prohibetur. Quarta dotis incompetentis est, quum ex. gr. consanguineus paratus est ad con-

sanguineam ducendam, & dotandam, aliàs destitutam competendi dote, qua non consanguineum paris conditionis inveniat. Quinta angustia loci adducitur, quum puella in angusto loco nata, atque educata in eodem maritum invenire nequeat paris conditionis, nisi eum, cui nubere prohibetur. Sexta scandali avertendi est, quum, ex. gr. consanguineus consanguineam violaverit, sine animo tamen dispensationis ex eo impetrandæ, ut matrimonium iniret; quamobrem formæ reorum aliter occurri nequeat, quam si legitimo conjugio jungantur. Septima criminis evitandi, locum tantum habet in eo, qui continentiam simplici, ut ajunt voto servaturum se Deo spondit, & proficitur, se de voti implemento penè desperare. De postremis causis nihil adjicio cùm per se perspicuè intelligantur. Hæc omnia, uti liquet, dispensationi locum faciunt matrimonio contrahendo. Quid verò, si matrimonium jam contractum fuerit ab illegitimis personis? Si id bona fide contigerit, vel id unum erit causa sufficiens dispensationis impetrandæ, ut quod ab initio irritum fuerat, valere incipiat dispensatione obtenta. At si contrahentes ab initio consensu fuerint impediendi, præsertim si solemnitate requisita in conjugio contrahendo neglexerint, voluit Concilium Tridentinum, eos separandos esse, & spe dispensationis consequendæ carere, sess. 24. cap. 5. de Reform. matrim., quod tamen ita intellige, ut difficilior dispensatio obtinere possit, nec nisi ex maxima, & gravissima causa, & in qua publicum bonum versetur.

In dispensationibus concedendis consanguineis, & adfinibus, diversorum gra-

duum ratio habetur, imò etiam diversæ qualitatis; nam ex. gr. facilis item in adfinitate, quæ ex illicita copula, quam quæ ex matrimonio profisciscatur; quamobrem quæ causa: ad obtinendam in certo genere dispensationem sufficerent singulares, impetrandæ dispensationi in alio genere non aequè facile valerent, nisi plures unâ concurrerent. Ajunt Tridentini Patres in cap. 5. sess. 24. de Reform. matrim. *In contrahendis matrimoniis, vel nulla omnino detur dispensatio, vel raro, idque ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam. Quæ fuerit Sanctorum Patrum mens, nemo exinde non colligit; proinde cùm in secundo gradu nunquam dispensandum sit, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causam liquet, ea, quæ superius diximus de dispensationum causis, ad tertium vel quartum tantummodo cognationis gradum regulariter pertinere. Qui plura desiderat in hanc rem, Pragmaticos adeat, apud quos, cùm potius de jure recepto agatur, quam de ea re, in qua certæ sint ecclesiasticorum canonum expressæ constitutiones, & supplicationum formulas, & singularum causarum vires, ac nexus delineatos inveniet. Tantum addam hoc in loco, dispensatione cum effectu impetrata, conjugium, si fortè jam contractum antea fuerit, renovandum esse in facie Ecclesiæ, nullis solemnitatibus omissis, cùm res ita sese habeat, ac si nihil eo usque actum esset, quod paria sint nihil agere, & contra jus agere; licet tamen aliud observandum prudenter putem, uti dispensatio in Romana Penitentiaria, seu tantum in foro inter-  
no impetrata fuisset.*

## DISSERTATIO QUINTA DE FORMA, AC SOLEMNITATIBUS CONJUGII CONTRAHENDI.

Huc referendi sunt tituli Decretalium, de clandest. desponsat., & de condition. appositis.



Universæ propemodum gentes, ex potissimum, quæ cultiores, & doctrina, & moribus visæ fuerunt, certas solemnitates, & ritus publicos præstituerunt, quibus decore

*Et venis in sylvis jungebat corpora amanti,  
Conciliabat enim vel mitras quamque libido,  
Vel violentia viri vis, atque impensa libido,  
Vel precium, glandes, atque arbata, vel pyra lecta.*

Infinitus essem, si varios populorum mores persequerer. Tantum generaliter dicam, vel athenicos ipsos suis superstitionis ritibus ita pro modo suo sancta reddidisse conjugia, eorundemque celebrationes, ut populus agnosceret, nonnihil divinum, seu sub Deorum auspiciis in celebrando conjugio geri; atque hæc etiam ratio fuit, quare Tertullianus in lib. de corona militis cap. 13. scribebat, Christianos matrimonia cum athenicis non contraxisse, apud quos nuptia ab idololatria incipiebant. Cæterum cùm de solemnitatibus & ritibus Christianorum, quos Ecclesia instituit, & probavit, agendum sit, necesse est indicare generalem conjugiorum contrahendorum formam à priscis Romanis receptam. Cùm enim Ecclesia leges suas passim imposuerit illis, qui Romano jure, & Quiritium disciplina vivebant; cùm etiam Christiani facti Imperatores constitutiones saluberrimas & Christianæ Religioni accommodatas ediderint, aut omnino abrogatis, aut reformatis veterum Quiritium moribus, non possunt hæc omnia commodè expen-

matrimonia celebrarentur, ne passim obtinerent, quod apud agrestes homines, & instar ferarum in certam venerem ruentes in more fuisse tradidit Lucretius, ita scribens:

di, nisi saltem paucis indicetur priscæ Romanorum utut idololatriæ adhuc serventium disciplina.

Itaque Romani veteres non unam contrahendis justis nuptiis formam præstituerunt, sed triplicem, quarum una qui servaret, verè diceretur nuptias jure celebrare, eas nimirum, quæ omnes obtinerent effectus lege ejus populi præstitutos. Prima forma erat confarreatio- nis, quæ etiam dicebatur aquæ & ignis adpositionis; altera coemptionis; postrema usucapionis. Quod Arnobius adnotavit in lib. 4. adversus Gentes ita scribens: *Uxores enim ïi habent, atque in conjugalia fœdera veniunt conditionibus ante quasitis, usu, farre, & coemptione generalis lœtulis sacramenta conducunt.* Solemniores nuptiæ erant, quæ confarreatione contraherentur, utpotè in quibus sacrator ritus apud illos habebatur, & penè divinus; eamque ob rem Sacerdotes non aliter matrimonia contrahere permittebantur, uti scribit Tacitus lib. 4. annalium. Dicebatur confarreatio ex eo, quod farris sacrificio actus coram Sacerdote celebra-